

388,7.


In  
1974

DE  
**MAXIMILIANO I. IMP.**  
CAROLI NEPOTIS  
IN  
REGEM ROMANORVM ELECTIONEM  
ANNO MDXVIII. AGITANTE  
EXPOSUIT  
**IOH. GOTTHELF HOCHMVT H.**  
A. M.



P S I A E

NHEM. HAEREDD. ET KLAVBERTHIA.



V I R I S  
CLARISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS  
CAROLO GOTTLLOB  
ET  
IOHANNI CHRISTIANO  
K V E H N I I S  
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CONSECVTIS  
HVNC LIBELLVM  
COMMVNIS CONGRATVLATIONIS INTERPRETEM  
ESSE VOLVERVNT  
  
M. ENKE                                    KVHL  
M. HAVBOLD                                M. LVNZE  
M. HOCHMVTH                            OELSEL  
STARCKE.





**Q**uod ab antiquissimis post extinetam gentem Carolin-  
gicam temporibus reges atque imperatores Germa-  
norum secuti sunt, ut summam imperii dignitatem genti suae  
seruarent: illud ab iis maxime, qui ex Austriaca domo ori-  
undi imperio Romano-Germanico praefuerunt, tentatum  
esse, norunt omnes, qui paulo curatius in historia eorum  
versati sunt. Praecipue autem Maximiliani I. Imperatoris in  
hac re studia, concentu quasi facto, collaudant omnes, qui  
vitae eius perscribendae studium insunserunt. Nec profecto  
iniuria. Quamuis enim varia sint Variorum de eius in ad-  
ministranda republica institutis iudicia, ita, ut ab aliis ista  
ceu saluberrima summis laudibus efferantur, ab aliis ceu te-  
meraria vituperentur: tamen haud scio, an is sit eorum ad-  
numerandus principum numero, qui licet in exsequendis  
consiliis minus felices, in capiendis tamen sapientissimi fue-  
re. Sed nisi agendi prudentiam, et peruincendi ardorem  
necessaria sustentant adiumenta: consilia vel optime excogi-

tata irrita cadant, aut tardiori saltē gradu procedant, necesse est. Cuius quidem rei ut omnino in rebus a Maximiliano I. gestis multa deprehendas documenta: ita in iis maxime, quae extremo vitae tempore de Caroli nepotis in regem Romanorum electione agitant. Quem locum difficultem atque lubricum cum nobis tractandum sumserimus: in hac quidem festinatione, qua, ne nimis sera videretur gratulatio, opus fuit, nonnisi primas iustae dissertationis lineas describere licuit. Sed et has VOBIS, KVEHNII, mihi Carrissimi, meique Amantissimi, certissime mihi persuasum habeo, gratias acceptasque fore. VOBIS enim sacras eas esse volui. Etenim diuturnum contubernii consortium, studiorum necessitudine inter nos contractum, animorum autem similitudine nutritum atque confirmatum exigebat, et vero etiam communium amicorum nostrorum voluntas suadebat, ut VOBIS congratularer honores, quibus ab Amplissimo Philosophorum Ordine ornatos VOS esse vehementer gaudemus. Hunc vero gaudii nostri sensum dum palam profiteri gestiebamus, placuit eo literarum genere ad VOS uti, quo VOS maxime delectari cognouimus, atque locum pertractare, cuius enarrandi occasionem VOS Ipsi nobis praebuisisti dissertatione, nuperrime data ad Patrem VESTRVM, VOBIS non magis amandum, quam colendum mihi. Quae enim ibi diligentissime commentati estis, de causis, quibus commotus Fridericus III. Elector Saxoniae, dignitatem imperatoriam post Maximiliani I. obitum sibi obtinendam

latam

Iatam recusauerit, ea me eo deduxerunt, vt etiam inquirerem, quare idem Elector imperatori, adhuc viuo, Carolum I. Hispaniarum regem imperii consortem adiungi nouerit. Atque sic factum est, vt, quae de hac re anno supra millesimum quingentesimum duodeuicesimo acta sunt, ea plenius excuteremus, maximeque difficultates Maximiliano in illo negotio motas commemoraremus, quas ab aliis, qui in hoc argumento versati sunt, praeteriri, aut vix attingi, aut minus adcurate tradi memineram. Sed ad rem ipsam accedamus.

Iam primum Maximilianus non sub finem vitae tantum de successore suo designando curiosus fuit, sed longe antiquiora huius studii vestigia reperiuntur. Neque enim videtur a vero abhorrere, eum maiorum exempla secutum, iam tum, cum antecessore suo mortuo expeditionem Romanam aliquoties moliebatur, hoc etiam mente agitasse, vt, impetrata corona imperiali, Philippum filium Principibus imperii Electoribus regem Romanorum sibi adiungendum commendare posset. Ab imperii ordinibus subsidiis ad illam expeditionem necessariis non adiutus scopum, quem perebat, attingere non potuit. Neque multo post Philippus ex vita discessit. Anno autem MDXI., cum inanis de Iulii II. Pontificis excessu rumor percrebuisse, Maximilianus, simili fere ratione, qua idem Iulius II.<sup>3)</sup> et iam Boni-

facius

<sup>3)</sup> vid. Lettres du Roy Louis XII. Tom. I. p. 261.

VIII

facius VIII. b) Pontifices imperatoris titulum adfectauerant, Pontificatus summi honorem ambiit, c) et, quo facilius Ferdinandi, regis Catholici suffragationem ea in re sibi conciliaret, Carolo, communi ipsorum nepoti, imperium cedere in animo habuit. Cui rei explicandae ex epistola, d) quam ea de cauffa ad Margarethem filiam dedit, haec adscribam:

*„Envoyons demain Monsr. de Gurce Evesque à Rome devers le Pape pour trouver fachon que nous puyssons accorder avec ly de nous prendre pour ung Coadjuteur, affin que apres sa mort pouruns estre assuré de avoer le Papat et devenir Prester et apres estre Saint, et que yl vous sera de nécessité que apres ma mort vous seres constraint de me adorer dont je me trouveré bien gloryoës. Je envoie sur ce ung poste devers le Roy d' Arogon pour ly prier quy nous voulle ayder pour à ce parvenir dont yl est aussy contant moynant que je resingne l' Empir à nostre comun fyls Charl de sela aussy je me suys contenté.“ Illo certe tempore Carolo imperii decus ab auo destinatum fuisse Hubertus Thomas, Leodius, haud obscure significauit in Annali-*

bus

b) IO. CVSPINIANVS in vita Alberti I. p. 446. (Basil. 1561. f.) Ense accinctus et coronatus (Bonifacius) in publicum prodiit, inquiens: *Ego sum Caesar et Pontifex.*

c) Literas ad Paulum a Lichtenstein de hoc negotio datas vid. in

iisdem literis Ludovici XII. Tom. III. p. 325. Germanice eas exhibet GOLDASTVS in Reichsbandlungen p. 96. conf. ERN. SAL. CYPRIANI diff. de Maximiliano I. Imp. Pontificatum Max. adfectante.

d) ibid. Tom. IV. p. 2.

dus de vita et rebus gestis Friderici II. Palatini ad a. MDXIII. <sup>e)</sup>)

„In animo, ait, iam tum habebat, (Maximilianus), nepotem ex filio ad imperiale dignitatem promouendi, quod ipsum tamen studiose dissimulabat.“

Hoc ipso anno MDXIII. cum post Iulii II. Pontificis fata illud, quod antea placuerat, capessendi Pontificatus Maximiliani consilium in mentem reuocasset, imperii Romani dignitatem offert Henrico VIII. in Anglia tunc summa cum laude regnanti, qui tamen illam Volsaei, amici, admonitu accipere recusauit. <sup>f)</sup> In sequenti tempore cum Maximilianus ob turbas a Gallorum regibus metuendas tuendae rei Austriacae conciliare cuperet vicinorum regum adfinitatem: celebratissimum illum trium regum conuentum, <sup>g)</sup> Viennae anno MDXV. instituit, in quo, iestis foederibus, Ludouicum, Bohemiae regem, constituit Vicarium imperii generale, et suum in eodem imperio successorem. <sup>h)</sup> Quae quamquam adeo temere a Maximiliano coepta esse videntur, ut

omnem.

e) Libr. III. p. 47. (Francof. 1624. 4.) do Hungar. Bohem. ac Poloniae regibus. in eius opp. p. 616.

f) v. IOH. GOTTL. BOEHMI V. Ill. diff. de Henrico VIII. Angl. Rege imperium Rom. post obitum Maximiliani I. adfectante.

g) v. IO. CUSPINIANI diarium de congressu Max. I. Caesaris cum Vladislao, Ludouico, et Sigismun-

do dipl. eius in MATTH. DO-  
GIELIS Cod. dipl. Polon. et Li-  
thuan. T. I. Bohem. et Austr. N. XX.  
p. 171. cf. IO. CHR. WILH. DE  
STECK Obsrv. subsec. specim. p.  
78. f.

## B

omnem pene fidem amittant: tamen equidem ob literas publicas super haec datas, et ob quaedam scriptorum indicia<sup>i)</sup> adeo non negauerim, ut potius Singularibus istis, qualia in rebus ab eo gestis haud pauca occurrunt, adnumeranda putem. Qui enim Philippum filium isto tempore Electorum collegio admotum cupiit, qui Papatus honorem bis ambiebat, qui regnum Neapolitanum adfectauit, qui Suecias, suae ditioni non subiectis, imperii proscriptionem comminatus est, et id genus alia: ab eo quidni et statuamus imperium, non consultis iis, penes quos eius in aliud transferendi potestas est, exteris adeo regibus oblatum esse, quos, vana spe lactando, magis sibi deuinciret. Accedit, quod vterque rex, illo mortuo, imperium adpetebat,<sup>k)</sup> quamquam, vtrum promissorum illorum nomine, non constat. Sed haec ut se cunque habeant: Maximilianus, ut erat varii et mutabilis ingenii, nec in hac sententia persistit, sed aliquot annis post gentis suae memor, siue quod aetate prouectior mortem adpropinquantem sentiret, siue quod imperii honorem tunc temporis periclitari animaduerteret, de constituendo alio successore sollicitus fuit. Cum enim

Fran-

i) de Henrico historiae Anglicanae scriptores tradiderunt; quos BOEHMIVS diff. laud. commemo-  
rauit. De Ludouico GEORGIVS SPA-  
LATINVS in vita Friderici Sapien-  
tis Lib. II. ad a. 1515. retulit, in

d. Samml. verm. Nachr. zur Sachsf.  
Geschr. Tom. V. p. 126.

k) v. BOEHMIVS l. c. De Lu-  
douico non nihil mouit SPALA-  
TINVS in vita Friderici Sap. l. c.  
p. 27.

Franciscus I. tunc Galliarum potitus, retractaret consilia, quae inter antecessores Carolus VIII.<sup>1)</sup> et Ludouicus XII.<sup>2)</sup> maxime, variis modis agitauerant de imperii Romano-Germanici terris ad se trahendis, summaque eius dignitate ad Francos transferenda: Maximilianus serio cum Germaniae Septemuiris agendum sibi existimauit, vt ne coronam imperioriam Austriacae domui eripi paterentur.

Itaque cum retundendae Gallicae potentiae magis magisque ingrauescenti omnes gentis suae opes coniunctas opponere cuperet; anno MDXVIII. in comitiis imperii, quae Augustae Vindelicorum indicere decreuerat, de Caroli<sup>3)</sup> nepotis in regem Romanorum electione agi volebat. Quae

B 2

res

1) Is., auctore BELCARIO, Comment, rer. Gall. Lib. I. VI. p. 159. (Lugdun. 1625. f.) „cotamyam imperioriam induitus, ac Caesar Augustus salutatus, consenso equo progressus, dextra rotundum pomum orbis symbolum, sive noram, sinistra sceptrum tenens, Gallica Neapolitanaque nobilitate comitante urbem (Neapolim) faustis acclamationibus undique personantibus velut Orientis Imperator ingressus est.“ Suspicatur autem Maximilianus Occidentis, nec forte abs re, cum recenti hac emulatione grauiter accensus foederi an. MCCCCXCV. contra illum

inito accesserit. cf. tamen, quae contra disputauit FR. WIDENBURGIUS in d. Samml. verm. Ann. aus d. Staats Rechr. und der Gesch. p. 21. m) v. MULLERI Reichstags Staat Lib. I. p. 92. cf. GERH. DE ROO Annal. Austr. Lib. XII. p. 565. (Halae Magd. 1709. 4.)

n) GVICCIARDINI, aliorumque, qui hunc sequuntur, scriptorum narrationem de facilitori Maximiliani in Ferdinandum, alterum nepotem, animo multis impugnat G. D. HOFFMANNVS in verm. Beobachter aus d. deutschen Staatsgesch. und Rechten P. II. p. 210. sq.

res ut eo felicius succederet, praeparandos Electorum animos ducebat, missio ad omnes, antequam Augustae conuenirent, Zieglero, <sup>o)</sup> Cancellarii sui Vicario, cuius in hoc negotio promptam dexteritatem perspiciebat. De Bohemico autem suffragio quamquam ob tutoriam in Ludouicum regem potestatem securus esse poterat, tamen et Sigismundum I. Polonicum, contutorem, de consensu rogauit; id quod ostendunt [huius literae <sup>p)</sup>] Oratoribus suis anno MDXVIII. datae, quibus eligendi regis Romanorum facultatem ipsis concessit. Neque ipse Carolus quidquam intentatum omisit, ut ex mandato ad Hoierum, comitem Mansfeldensem, missio intelligitur, quo eum iubet hortari Maximilianum, ut electionem suam in comitiis Augustanis procuraret. Magnam, addit, pecuniae sumam Principibus distribuendam Corteuillae, ministro suo in Aula Caesaris residenti, concredi.am ruit. <sup>o)</sup>

Exploratis sic Principum Electorum studiis ad ipsa comitia itur, in quibus quae in vniuersum acta sint, hic multis exponere nihil attinet, nec, cum ob frequentem et copiosam

<sup>o)</sup> v. FUGGERVS im Ehrenspiegel d. Erzhauses Oesterreich Lib. VI. p. 1358.

<sup>p)</sup> in DOGIELIS Cod. dipl. Pol. Tom. I. N. XXIV. p. 26. Paecta illa de a. 1515. quorum antea mentionem fecimus, sublata fuisse coniece-

runt Viri Docti ex aliis Sigismundi literis in MULLERI Staatscabinet Tom. I. p. 10.

<sup>q)</sup> v. SECKENDORFII Hist. Luth. Lib. I. Sect. 16. p. 42. (Lipf. 1694. f.)

piosam Scriptorum<sup>4)</sup> idoneorum narrationem fatis cognita sint, opus est. Itaque tacebimus quae ad rem ecclesiasticam pertinebant: praeteribimus etiam, quae ad auxilium contra Turcas ferendum, et iuris de imperii causis dicundi rationem melius constituendam magisque sustentandam rogata erant: nec causas<sup>5)</sup> commemorabimus, quare in his vniuersi imperii ordines Maximiliani voluntati tam parum satisfecerint: ea tantum persequamur, quae de noui regis Romanorum creatione agitata<sup>6)</sup> multi rerum Germanicarum commentarii aut plane praeterierunt, aut ita tradiderunt, ut nihil omnino imperator effecisse legentibus videatur.

Iam igitur eo Maximilianus animum intendebat, vt suffragia Electorum Carolo, Hispaniarum regi, conciliaret, quo facilius, nisi in his ipsis comitiis, proximo tamen ipsorum conuentu electio ipsa perageretur. Quod initio ita ipsi

B 3

ex

<sup>4)</sup> V. VLICHVS DE HVTTE in variis epistolis, maxime illa ad Iulium Pflugk, quae subiuncta est eius Nemini. in Selectis et Rarioribus Latii Purioris Monumentis a I. C. Fischero editis p. 100. (Ienae-1738.

<sup>4.)</sup> RICH. BARTHOLINV<sup>S</sup> in narratione de conuentu Augustano 1518. conscripta, in SENKENBERGII Sel. Iur. et Hist. Tom. IV. p. 629. seq. In praefatione huius Tomi p. 35. Vir Illustris latius de-

scripturum se esse haec comitia fidem dedit; qua an se soluerit, mihi quidem non constat.

<sup>5)</sup> V. DE HARPPRECHT Staatsarchiv des Reichskammergerichts P. III. S. II. p. 161. f.

<sup>6)</sup> De his egerunt G. D. HOFFMANNVS l. c. p. 191. f. et GENEROS. DE STECK (hic enim auctor putatur) in *Ausführung polit. und rech. Materien* N. X. p. 171. f. cf. LETTERE DI PRINCIP<sup>I</sup> Lib. I. passim,

ex voto successit, ut quatuor Electores facile suffragarentur, Albertus, puta, Archiepiscopus Moguntinus, Austriacae genti multis nominibus obstrictus; <sup>u)</sup> Ioachimus, Elector Brandenburgicus, <sup>x)</sup> Moguntini, fratri, exemplum secutus; Ludouicus Palatinus, quem Fridericus, frater, Maximiliano conciliatus a Gallorum partibus retraxerat, <sup>y)</sup> et Herrmannus, Praesul Colonensis, qui in Carolo, Hispaniarum rege praesidium satis firmum contra Gallorum in suas terras invasiones sibi collocatumiri sperabat. De Bohemico enim voto, ut vidimus, non habebat imperator, quare sollicitus esset. Illud vero optime testantur literae <sup>z)</sup> a Maximiliano

passim, (Venet. 1570. 4.) cuius rarissimi libri usum Illustris BOEHMII humanitati debo.

u) In his ipsis adeo comitiis imperatoris beneficio Cardinalis dignitatem acceperat. v. VLIRICHI DE HVT TEN epist. in libr. laud. p. 103.

x) Hunc FUGGERVS l. c. p. 1362. retulit his verbis usum esse: *Er vor seine Person vermöge kaum die Falkner und Jäger zu einem kaisirlichen Hofstaate zu unterhalten, und habe um diese Ehre sich nit anzunehmen, und es werde des Reichs Norrturft ihn und seine Mitchurfürsten selbst wohl lehren daß sie keinen andern, als K. Karolum — zum Römischen Kaiser künftig erwählen werden.*

Hinc intelligitur, quae fides iis habenda sit, qui eum tradiderunt sequenti anno imperii cupidum fuisse, incitate Alberto fratre, quem et ipsum fidem seruasse, magnamque Carolo operam hac in re praeftitissē constat. v. RAYNALIVS in *bijstoirē de l' élévation de Charles-quint au Trône de l' Empire, in Memoires de l' academie de Berlin. An. 1752. p. 143.* cf. KOEHLERVS in *bijstoir Münzbelust.* P. V. p. 140. s. de GVDEN Cod. dipl. Mogunt. Tom. IV. p. 612. 13.

y) v. HVB. THOMAS Leodius l. c. p. 66.

z) GVDENI C. D. M. p. 599. f.

ximilano Calendis Septembribus huius anni (his comitiis  
 nondum dissolutis) datae, e quibus ea, quae hoc adprime  
 faciunt, transferenda putauimus: *Wir Maximilian — be-  
 kennen — als wir, in namen unnd an stat als Tutor unnd Vormün-  
 der des Durchleuchtigen Fürsten, Herrn Ludwigs, zu Hunngern  
 und Behaim etc. Kunig, unsers lieben Suns, Brueder unnd Churfür-  
 sten; desgleichen der Hochwirdige in Got Vater, Herrn Albrecht,  
 zu Mainz — und der Erwirdig Herrmann Erzb. zu Coln —*  
*desgleichen die Erwirdig und Edel, Era/mus Bischof zu Plozen,  
 und Raphael de Lescno, Hawbtman zu Lannden, als Rete und*  
*als vollmechtig Gewaltherber des Durchleuchtigsten Fürsten, Herrn  
 Sigmunds Kunig zu Polan, als unsers Mittutors und Vormun-  
 des des gemelten Kunig Ludwigs; unnd dartzue die Hochgeborenen,  
 Ludwig, Phallentzgrave bey Rein und Hertzog in Bayern, und  
 Joachim Marggrave zu Branndenburg — aus beweglichen tref-  
 senlichen ursachen, auch auf unsfern sonderlichen willen, ansue-  
 chen und Begern, der heiligen Cristennheit, dem Römischen Reiche  
 und Dewtscher Nation zu Eer, nutz, unnd gutem und pesten bedacht  
 und zugesagt haben, den durchleuchtigsten Fürsten Herrn Kar-  
 len, zu Hispani, — Kunig, Ertzhertzogen zu Oesterreich — so vil an  
 uns allenn ist, als gebornnen Ertzhertzogen zu Oesterreich zu Römi-  
 schen Kunig zu erwelen, unnd das Decret wie sich gebürt, dariü-  
 ber auszerrichten; dass wir uns dagegen unnd darumb für uns und  
 den obgenannten unsfern lieben Sun Kunig Karlen unsrer Erben  
 und Nachkommen verpflicht, — der vorgedachten unsrer lieben  
 Freund, Sweger und Oheim, der Churfürsten von Mayntz, Cöllen,*

Bēheim,

*Beheim, Phallenantz und Brandenburg gnedigt Hern sein und bleiben.* — „ Neque solum, quae hic a Maximiliano promissa erant, ipse Carolus se seruaturum esse aliis literis <sup>a)</sup> profesus est, sed etiam erga Albertum Moguntinum, et Ioachimum Brandenburgicum, quorum in hac quidem re eximium fauorem perspexerat, gratum se animum habiturum esse declarauit. <sup>b)</sup> Nec Pontificem horum Electorum in Carolum voluntas latebat. <sup>c)</sup>

Ex his vero, (nam quid plura commemorem?) satis adparet, quam opinione sua fallantur, qui Maximiliani in hac re consilia plane irrita fuisse existiment. Immo res eo iam perducta erat, vt, nisi alia ipsam electionem differre suassissent, Carolus, plurimis votis electus, in hoc eodem forte gentis concilio Rex Romanorum fuisse designatus. Sed praeter Electorum, Treuirensis et Saxonici, dissensum Pontifex quoque Romanus, et Galliarum rex omni, qua poterant, ratione renitebantur. Et hic quidem simulatque ad aures peruenérat, Caroli in regem Romanorum creationem tentari: vehementer commoueri, ac, ne tanta potentia, qua se vndique circumdatum iri videbat, vni Carolo concederetur, omnia moliri; Germaniae Septemuiris libertatis iacturam ostendere; Leoni Pontifici praesagire Italiae seruitutem; Venetis funestorum bellorum terrorem iniucere: in primis

a)) b) GUDENI C.D. M. p. 599. f. Lib. I. fol. 55, cf. GOLDASTI Po-

c) LETTERE DI PRINCIPI litica Imperialia P. I. p. 102,

primis autem, Mediolani memor, Pontificem oppugnare, qui Maximiliano coronam imperialem in Germaniam transmittere recusaret, aut ei saltem, Italiam eo consilio petituro, cum armis venire interdiceret.

Scilicet expeditione Romana, quae anno MDVII. suscepta erat, irrita facta, Maximilianus, assumserat titulum Electi Imperatoris, ita tamen, ut significaret, se hoc adeo non in fraudem sedis Apostolicae fecisse, ut potius, consilio, coronam imperialem opportuniore tempore recipiendi, non plane abiepto, breui se in Italiam redditum speraret.<sup>d)</sup> Quae omnia Iulius II. Pontifex, ut ab Italia arceret Germanicas copias, rata habuit.<sup>e)</sup> Nunc autem Leo X. qui inter haec sedem Apostolicam ascenderat, vel quod interregnum in Germania exoptaret, (hoc enim ad tuendam auctoritatem Pontificiam Maioribus suis non raro profuisse bene norat,) vel quod nimia imperatoris erga Lutherum eiusque sequaces lenitate irritatus esset; is igitur a Francisco I. facile se eo induci passus est, ut imperatoris consiliis aduersaretur,

prae-

d) SCHMAVSSII Corp. Iur. Publ. Acad. p. 64. f.

e) HEVTERVS Rer. Belg. Lib. VII. p. 292. GERH. DE ROO Annal. Austr. Lib. XII. p. 568. IO. CV. SPINIANVS in vita Maximiliani l. c. p. 606. ACHILL. PIRMIN.

GASSARVS in Annal. Augstburgens. ad a. 1508. in MENCKENIT Scriptt. Rer. Germ. Tom. I. p. 1745. alii, quorum de die, quo haec facta sint, dissensum sustulit HAEBERLINVS im pragmat. Auszug aus der allgem. Weltgesch. in praefat. Vol. X. p. 40.

praetexens, ex legibus imperii duo reges vna imperare non posse, neque Caesarem, cuius capiti corona non ab ipsis Pontificis manibus imposita sit, nominandi regis Romanorum potestatem habere. Quod etsi nostra aetate recte per negatur: tamen ipsis temporibus, quibus certa iurisprudentiae Germanorum publicae principia nondum dominabantur, aliquam vim habuisse miror cur nonnulli negent. Ipse enim Maximilianus Germaniae Proceribus inueteratarum ceremoniarum titulorumque studiosis hoc indulxit, ut, quamquam ob ingrauescentem aetatem Romani adire recusaret, tamen promitteret, se de illa per legatum aliquem in Germaniam mittenda cum Pontifice atque Cardinalibus acturum esse.<sup>f)</sup> Quae quidem inter causas erat, cur ipsa Electionis sollempnia vsque in mensem Martium futuri anni differret; <sup>g)</sup> quamquam prope verum acedit, quod nonnulli non sine summo ingenii acumine coniecerunt, Maximilianum, postquam Pontificem tergiuersaturum <sup>h)</sup> suspicatus esset, de coronatione

f) HEUTERVS I. c. p. 338.  
GERH. DE ROO I. l. p. 603.

g) LETTERE DI PRINCIPI  
Lib. I. fol. 57.

h) Illustrantur haec literis SIL-  
VESTRI, Vigorniensis episcopi ad  
Cardinalem Eboracensem in MAR-  
TENI et DVRANDI Collect. Vet.  
Monim. Tom. III. p. 1302. Animose  
imperiale coronam Caesari et Ca-

thelico regi, quam nunc oblationibus, nunc aliquo alio modo instantissime requisiabant, mittere negauit (Pontifex) — totamque hanc difficultatem ipsis obiecit, ut electionem differret, atque catholico regi difficulter redderet — formidine nimiae ipsius potentiae et magnitudinis, quae facile libertati et statui ecclesiastico obesse potest.

ronatione ista parum sollicitum, ne Electi Imperatoris titulus imperii consortio obesset, postulasse a Germaniae procuribus, vt Imperatorem se, non Imperatorem Electum appellarent.<sup>i)</sup>

At vero Pontifex cum metueret, ne Carolus Germaniae sceptro cum Siciliano, quod tenebat, coniuncto, recuperandae Insubriae cupiditate incitatus bellum in Italia accenderet, et Romanae sedis dignitatem protereret: nouis eius in regem Romanorum designationem difficultatibus inuoluebat, praefatus, prohibitum esse ex legibus antiquis, ne rex Neapolitanus simul imperium Germanicum teneret. Neque vero minus et ex his se explicare Maximilianus studuit. Etenim, si conjecturae locus est, de Siciliae regno, ne Carolo ad Germanicum adspiranti impedimento esset, in Ferdinandum fratrem transferendo cogitauit. Ostenditur enim apud Koehlerum<sup>k)</sup> numus, hoc ipso anno MDXVIII. cufus, in cuius altera parte Maximiliani, in altera vtriusque neporis imago conspicitur, adsignata Carolo Hispaniae, Ferdinando Siciliae regis adpellatione. Cum autem de hoc, tamquam Siciliae rege rerum annales sileant: equidem quo alio haec numi inscriptio spectet, me non intelligere fateor. Nec ipse adeo Koehlerus (at quantus vir in numismatis ex historia explicandis!) de ista Ferdinandi adpellatione quidquam

C 2

monuit.

i) v. BOEHMIVS im Sächs. Grossen-Kabinett Fach 2, p. 150.

k) in bistor. Münzbel. P. III. p. 177.

monuit. Carolus vero quod haud dubie praeuidisser, Hispaniae ordinibus haec ingrata fore, qui ius primogeniturae atque indiuisi in suo regno imperii legibus moribusque constitutum esse adsererent: maluit de istius legis Clementinae venia, ingenti pecuniae vi impetranda, cum Pontifice agere. Qui quidem cum aliquamdiu cunctatus esset, tamen et tantis promissis allectus, et Caroli Maximilianique oditum atque iram pertimescens, eius rei tandem spem fecit. Attamen, quod Pontifices Romanos, cum a posterioribus principibus sibi inuicem aduersantibus simul adirentur, omni fere aeuo egisse accepimus, vt, dum cognouissent, uter praeualitus esset, mentis suae consilia tegerent; id vero Leo X. hac in causa callide imitatus, literas, quibus Hispaniarum rex ista religione solueretur, non statim promulgauit. Ne autem suum sibi Franciscum, Gallicum, offenderebat, maius erga eum studium facilitatemque praeseferens, quod ipsius erat simulandi dissimulandique artificium, auctor sua forque regi fuit, vt cum imperii Septemuiris de alio quovis rege Romanorum eligendo ageret, atque Fridericum, Saxoniae Electorem, commendaret. Quod quidem consilium Laurentius Medices, dux Vrbinas, is, quem Leo X. necessitudine sibi iunctum, sequenti anno, imperii spei admotum cupiebat, <sup>1)</sup> suggestit, nec Franciscus I. neglexit; id quod ex literis Principum clarum est.

Haec

1) v. PETRVS MARTYR Epist. Lib. XXXII. Ep. 637. p. 352.

Haec dum Pontifex et rex Galliarum moliuntur, inter Principes quoque Electores Treuir et Saxo ad Carolum imperii summam deferri nolebant. Neque tamen adfirmauerim, serio eos ad Auream Bullam prouocasse, quae <sup>de</sup> electione regis Romanorum *viuo adhuc imperatore* instituenda nihil praecipiat. Cum enim de tali electione in ea aequre minus atque in aliis antiquioribus imperii constitutionibus sanctum sit, neque Electores exempla in contrariam partem fugerent: intelligi non potest, quare illam legibus contrariam pronunciauerint; nisi quis dicat, religioni sibi eos duxisse, in tali re quidquam decernere, quod non disertis verbis lex probauerit. Sed quis ignorat? subsequentibus adeo temporibus ista causae specie vsos esse nonnullos Electores, ut paulo post in Ferdinandi I. electione, a Carolo fratre tentata, factum est.<sup>m)</sup>

Propius ad verum haec videntur accedere, quod Se-premuiti Caroli iuuentute, qui vix octodecim annos natus esset, offendarentur, vel, quod ipsi, regi Hispaniae, tam longe remoto, rerum Germanicarum tutelam committere nollent, vel quod vererentur, ne gens Austriaca, iure in imperio succedendi hereditario acquisito, eligendi libertatem ipsis eriperet. Ad haec animaduerterant, quanta subinde imperandi licentia Maximilianus usus esset ad accidentam

C 3

pote-

<sup>m)</sup> SPALATINVS in vitis Ele- NII Scriptt. Rer. Germ. Tom. II.  
ctor, ac duc. Saxon. in MENCKE. p. 1123.

potestatem eam, quam diuturnum inertis antecessoris imperium ipsis et reliquis Germaniae ordinibus indulserat. Cum autem facili coniectura assequi possent; Carolum aut vestigia non modo pressurum esse, sed ob maiorem, qua pollebat, potentiam, longe maiora tentaturum: eo magis habebant imperatoriae potentiae aenuli, quod tam praepotentis regis electionem a se declinarent. Quidquid enim de insigni in Carolo ingenii lenitate atque bonitate <sup>n)</sup> praedicaretur: tamen perspexerant indolem eius magna spirantem, norant eius Plus Ultra, et audierant, quae iam in patrio regno adhuc iuuenis perfecisset. Neque latebat Germanos, quam aspera esset Hispanica natio, quam dominationi adsueta, quam fastuosa erga aliarum gentium principes. Quo magis verebantur, ne Caroli I. amici, atque Consiliarii Hispanici rebus se imperii Germanici immiscerent, nullaque libertatis uitiae ratione habita, ad Domini lubitum rempublicam administrarent. Quapropter ii ipsi Electores, qui suis Carolum suffragiis sustentauerant, de nimia eius potentia sibi cautum literis <sup>o)</sup> cupiebant, quibus Germanicae libertatis statorem, amplissimorumque, quibus gauderent, priuilegiorum custodem se fore profiteretur. Quibus si quis addiderit singulas leges, quae in pleniori sanctione imperatoria,

<sup>n)</sup> v. BOEHMIVS in Sel. Capit. ex hist. Caroli V. imp. et quos ibi allegauit, cf. tamē, quae IDEM nuperrime commentatus est de Ca-

roli V. imp. erga rem euangelicam lenitatem.

<sup>o)</sup> de GVDEN Cod. Dipl. Mog. Tom. IV. p. 603.

ria, Carolo, anno proxime sequenti, lata commemoratae sunt, talia sane deprehendet, quae de his, quas diuinamus, causis dubitari nullo modo patientur.

Has fere communes habuisse causas videntur Electores Treuirenſis et Saxonius, quamquam diuerso consilio impulsi. Ille enim largitionibus Gallicis corruptus lucrum ſuum ſpectabat: hic autem, ſapientia, omnium confilio-rum ſuorum auctore, et constantiſſimo patriae amore duetus verae reipublicae ſaluti consultum cupiebat. Hinc illius repugnantiam Maximilianus parum curauit: <sup>p)</sup> contra ea huius, quem Austriaco nomini alias deditiſſimum cognoverat, auſtoritati ſolum <sup>q)</sup> cedendum peitauit.

At vero Fridericus III. Saxo eo acrius instabat diſturbandae huic Caroli electioni, quo grauiores causas habebat ſibi proprias. Inter quas primo loco occurrit, quod Vicariatus iura, quae hoc maxime tempore periclitari cooperant, denuo exercere, exercendoque intégra conſeruare ſtuduit.

Etenim

p) FVGGERVVS im Ehrenſpiegel des Erzb. Oefferr. I. c. ita memoriae prodidit: Maxim. ſand die Kurf. wil- lig und wolgeneigt, euffer den Erzb. von Trier — welcher den Mantel nit Ost- ſondern Westwärts hängend eine dunkle Antwort gab, die aber als die einig[en] den Kaiser nichts irrite.

q) SPALATINVS in vita Frid.

Sap. I. l. p. 39. Dieser Churfürſt zu Sachſen Fridrich — erhielt auf dem letzten Reichstage des R. Kaisers Maximilian zu Augſburg allein, daß — bey Leben und Regierung des R. Kaisers kein Römischer König würde — denn da pickten ſeine größten Freunde an ibn — über das alles Röm. Kaiſ. Maj. Kaiſer Maximilian ſelbst.

Etenim sub Maximiliano varia in republica instituta fuisse constat, quae suis aliquando priuilegiis obsfutura vterque imperii Vicarius suspicabantur, veluti Iudicium Camerae, atque regimen imperii, quod vocant, quorum vtrumque agnouerunt illi quidem, ita tamen, vt literas publicas<sup>1)</sup> ab imperatore sibi expeterent, quibus Augusto muneri suo cautum esset. Illud omittam, quod ipse Maximilianus, ex consueta imperandi lubidine, Vicariatum Imperii Generalem nonnullis obtulisse inuenitur, vt Henrico VIII. Angliae regi, qui illud ipse professus est, et<sup>2)</sup> Ludouico Bohemico, de quo supra vidimus. Maioris autem momenti est, quod Viri Docti<sup>3)</sup> dudum recte coniecerunt, hac maxime aetate magnam inter Electores Palatinos et Saxonicos de Vicariatu subortam esse aemulationem. Illi enim ab eo inde tempore, quo communia Vicariatus iura Saxonicae domui, folius Caroli IV. fauore, in Aurea Bulla concessa aut confirmata esse opinati fuerant, contendebant, hoc sibi iuris esse, vt per impe-

1) in r. I. MÜLLERI Reichstags-staat vom Jahre 1500 - 1508. Lib. V. p. 718. f. et LÜNIGII Reichsarchiv Part. Spec. Theil II. p. 29. 30.

2) in literis ad Margaretham Austriacam d. 12. Iun. 1514. scriptis v. Lettres de Louis XII. Tom. IV. p. 323. Il nous souvient bien que lors que l'Empereur nous fit demonstration de

*L'offre de la Couronne Imperiale, et apres du Vicariat irrevocable etc.*

3) v. Chur-Sächs. Reichsvicariats-gesch. in d. Samml. zur Sächs. Gesch. Tom. IX. p. 19. 29 sq. cf. de HARP-PRECHT Staatsarch. d. R. K. G. Tom. II. §. 115. p. 101. Tom. IV. p. 65. et 10. ERN. KREGELII diss. de Vicariatu Saxonico in casu absen-tiae Imperatoris. Lips. 1707.

imperatoris e Germania absentiam, sine Saxonis consortio, rempublicam soli administrarent, nisi auctoritate celebratissimi illius priuilegii Carolini, quod iactabant. Huius autem confirmationem \*) in his ipsis comitiis Augustanis Ludouicus Palatinus a Maximiliano denuo impetraverat. Hinc Friderico mota suspicio, hinc lites tum metuenda, cum Carolus summa rerum potitus esset, quem facilis coniectura erat, non semper, patrio regno deserto, in Germania commoraturum esse. Sed haec si longius persequi velim, vereor, ne in campum nimis amplum exspatiandum sit. Attigisse suffecerit, ut vel exinde cognoscas, Fridericum sapientissime in suffragio, Hispaniarum regi ferendo, cunctatum esse.

Sed longe grauiorem huius cunctationis causam repetendam esse existimamus ex singulari eius erga Lutherum favore, et Sacrorum emendationem nuperime coeptam in terris suis iuuandi studio. Etenim, ut hoc vno vtar, in ipsis his comitiis Augustanis ad dimittendum deserendumque Lutherum ab ipso Pontifice \*) oppugnatus adeo non cessit, ut potius, quo maiora causae Lutheranae timenda esse intelligeret, eo magis et Lutherum, et purioris doctrinae

v) v. LÜNINGII Reichsarchiv Part. Spec. P. I, sub tit. *Churpfalz* p. 647.

x) cuius literas d. d. XXIII. Au-

gust. a. MDXVIII. ad ipsum scriptas v. in Opp. *Lutheri* Tom. I. latin. Wit- teb. p. CCIII.

## D

nae promulgationem suo patrocinio commendandy<sup>m</sup> esse existimaret. Iam vero Fridericus, siue Maximilianum diutius vietupum, siue bretui e vita abiturum sibi fingebat, vtrinque meliora, quam si Carolo imperii maiestas collata esset, sperare poterat.

Si enim in vita remanebat imperator, eadem, qua  
huc usque aduersus Lutherum usus fuerat, lenitate, et post  
usurus videbatur. Immo non lenitatem solum, sed et praesidium  
expectare licebat. Etenim, quod satis notum est,  
nec Maximilianum latebat, quam esset erroribus deturpata  
istis temporibus religio, quamque adeo necessaria ecclesiae  
reformatio, quam iam dudum optauerat. Quid? quod  
ipse de rebus sacris nonnunquam acriter, sed non sine lu-  
mine differuit.<sup>y)</sup> Nec omnia coeca fide arripuit, sed de  
praecipuis religionis capitibus certior fieri voluit. In hoc  
ipso autem conuentu Augustano cum legisset Lutheri theses  
contra aeruscatorem illum, indulgentiarum venditorem: non  
spernendas eas pronunciass<sup>e</sup>, et Degenhardo Pfeffingero,  
Friderici consiliario dixisse fertur: „Quid agit Monachus  
vester? Sacerdotibus negotium faceſſet (*Er wird ein Spiel  
mit den Pfaffen anfangen.*)“ Eidem, ut Friderico tuendum  
commendaret Lutherum, his verbis mandauit: *Sagt unserm  
lieben*

y) CUSPINIANVS in vita Ma-  
ximiliani p. 603. cf. FROMMAN-  
NIANA p. 641. vbi laudatur etiam  
*Curiositas regia*, f. Quæſtiones 8

theologicae a Max. I. propositae, et  
a Trithemio, theologo tunc tempo-  
ris peritissimo solutae.

*lieben Oehmen, das er uns den Münch Luther fleißig beware, denn es könd sich bald gelegenheit zutragen, dass wir seiner bedürfen.“<sup>a)</sup>) Nec defuere, qui Maximilianum de Clero et Pontificibus vehementer conquestum, optauisse traderent,<sup>a)</sup> vt infidas eorum machinationes vlciscendi aliquando occasio offerretur, adeoque non incongrue coniicerent, ipsum sustentare voluisse ecclesiae emendationem a Luthero suscep tam. Quo facilius Fridericus illud etiam in his ipsis comitiis ab eo imperrabat, ne Pontifici ad subsidia, vt quidem simulabat, contra Turcas ferenda Germaniam indulgentius denuo ex haurire concederetur.<sup>b)</sup>*

At, si Maximiliano, humanis rebus erepto ad interregnū ventum esset, Fridericus III. Vicaria nunc imperii potestate pollens, omni timore, deserendique Lutherum consilio, quo antea vexatus erat,<sup>c)</sup> abiecto, liberius in promouenda Sacrorum emendatione versari poterat. Contra ea si Carolus I. Germaniae rex praeficeretur, non poterat non Electorem metus angere, ne partim Pontificiae superstitioni

D 2

*z) MATTHESIUS von der Historien des Herrn D. Mart. Luthers p. 15.*

*a) IDEM l. c. Kaiser Maximilian waren inn seinem Regiment viel Römische und Curtisanische stück bewissen, darumb er soll auff gelegenheit gehärrt, und getracht haben, sich an*

*den feinden unnd zutrettern der Keyserlichen Mayestaet und krone zu rechen.*

*b) SPALATINVS in vit. Frid. l. c. p. 39.*

*c) V. FR. IMM. SCHWARZII, V. S. R. Prol. de consilio Friderici Sap. deserendi Lutherum.*

## XXVIII

ftitioni addicetus, partim ob impetratam legis istius Clementinae veniam sedi Apostolicae obnoxius, contra Lutherum feuerius ageret; licet vanum hunc timorem fuisse euentus rerum docuit.<sup>d)</sup>

Poteram multo plures addere causas, quare Fridericum Caroli electioni moram inieciisse nonnulli opinentur, veluti quod dubitauerit, an is, rex Hisp. Germaniae praefesse possit, quae Principem suarum terrarum postulare credebat; quod Ferdinandum, alterum Maximiliani nepotem, Carolo praeferre voluerit, bene gnarus, Germanos malle mediocrium opum imperatoribus parere, quam potentiorum vim pertumesce; quod veritus sit, ne Albertus, Moguntiae Praeful, si apud Carolum, suo maxime studio electum, eadem vteretur auctoritate, quia ipse apud Maximilianum valuerat, omnia referret ad Pontificis, cui tam multa accepta referebat,<sup>e)</sup> Iubitum in extirpanda, quam tunc claimabant Lutheranorum haeresi; et quae non alia? Verum haec atque talia cum vel parum probabilia, vel satis nota sint; malui in iis adquiescere, quae ex certis rerum documentis confirmari, vel ita diuinari poterant, ut et istorum temporum rationi respondere, et vero etiam euentu rerum comprobari inteligerentur. Id quod, nisi me ab instituti mei ratione longius abduceret, ex historia Reformatio-

nis

d) V. BOEHMII diff. supra Iau-  
datam de Caroli V. erga rem eu-  
gelicam lenitatem.

e) illustrat haec KOEHLERVS  
in hist. Münzel. Tom. V. p. 138. f.

nis<sup>f)</sup> atque Vicariatus Saxonici<sup>g)</sup> abunde ostendi posset. Quare nec ea lubet commemorare, quae de simulrate nescio qua inter Maximilianum et Fridericam Varillasius somniauit. Conficta illa esse et Seckendorfius<sup>h)</sup> iam recte suspicatus est, et docet illud, quod imperator eum, licet tantopere sibi aduersatum, non sine summi fauoris testificatione a se dimisit.<sup>i)</sup>

Ita vero accidit, vt Maximilianus, Caroli electione licet non perfecta, profligata tamen, Augusta discederet. Spem enim conceperat, fore, vt, maiori Septemuirorum parte ei fauente, Saxo etiam expugnari se pateretur. Immo vero reperiuntur quaedam apud Scriptores non spernendos vestigia, de ipsis adeo Friderici suffragio Maximilianum securum fuisse. In quam rem iuuat Spalatini locum addere.<sup>k)</sup>  
*„Ich Spalatinus habe selbst von diesem hochlöblichen Churfürsten gehört, dass der Renner, der führnehmsten Kaiserlichen Rüthe einiger, einstens wie S. Chf. G. bey Kaiserlicher Maj. gewest, den Kaiser bey dem Rocke gezupft, und wie der Kaiser sich umgesehen, hätte er gesagt: Allernädigster Herr, in der Sache haben wir eine gute Antwort, von unserm gnädigsten Herrn, Herzog Friederich zu Sachsen, wenn Eure Kaiserl. Maj. in and'n Sachen der Wahl, auch eine gute Antwort von ihm hätten. Da*

D 3

hat

f) v. SECKENDORFII Hist. Luther. ad a. 1519.

CRE diff. de Friderico III. Sap. Vicario Imperii. Lips. 1712.

h) in hist. Luth. l. c. p. 50.

i) SPALATINVS l. c. p. 34. 40.

k) l. l. p. 40.

g) v. ChurSächs. Reichsvic. Gesch. l. c. p. 47. L. et HENR. OTT. MEN-

hat der Kaiser denselben Diener ernstlich angesehen und gesagt, hab ich doch eine gute Antwort. Und wie es mein gnädigster Herr, der Churfürst zu Sachsen verstanden und mir anzeigt, so hielt ers. dafür, der Kaiser hätte demselben Nachfrager so viel wollen sagen: Ich habe bessere Antwort, denn ich dir sagen will.“ Forte igitur Fridericus, quamquam ipsum suffragium ante legitimum tempus ferre noluit, cum Maximiliano tamen in eo conuenit, vt Carolus, licet ipsi viuo rex Romanorum non adiungeretur, defuncto tamen imperator succederet. Ita certe Fuggerus, qui Electores, Moguntinum et Saxonem, haec imperatori respondisse tradidit:<sup>1)</sup> Weil des Reichs Ordnung eine freye ungezwungene und unverheissene Wahl erfordere, so wollte ihnen zwar nit gebühren, hierwider zu handeln, noch jemand derentwegen einige Zusage zu thuen. Jedoch in Betrachtung der Grossmacht und Tugenden — Karls sollte K. Max. sich ihrentwegen gewiss versichert haben, dass, dasfern es einmal zur Wahl kommen sollte, sie keinen vor tauglicher erkennen, und dannenhero seines Begehrns eingedenk auch dem Reiche zur Wohlfarth keinen andern, als ihn zum Römischen Kaiser erwählen könnten und würden.“ Nihilo tamen minus hanc suam erga Carolum voluntatem ita pectore pressit, vt, quemadmodum idem Spalatinus tradidit,<sup>m)</sup> nemo mortalium sci-

ret,

1) im Ehrensp. des Erzhauses Oester. p. 1361. adde locum supra (p. 23, n. p.) laudatum. Consentit p. HEVTERVS l. c. p. 338. Septemui-

ros, inquit, omnes fere Caesar in sententiam pertraxerat.

m) in vit. Frid. Sap. l. c. p. 28.

ret, cui tandem suffragaturus esset. In quo fortasse hoc consilium sapientissimi nominis Princeps fecutus est, ut cunctando Carolum incertum relinquere, dum Germaniae libertati, atque Procerum imperii auctoritati satis caustum esset. Id, puto, confirmat sequentis anni historia. Sed cum vanum sit, dubia atque incerta sectari, haec in medio relinquamus.

Iam igitur Maximiliano nihil restabat, nisi hoc, ut corona imperatoria a Pontifice ipsi transmitteretur, et conuentus Principum Electorum<sup>n)</sup> ad celebranda ipsa Electionis sollemnia institueretur. Quae dum exspectat,<sup>o)</sup> missis hinc inde legatis, Electores de nepotis successione identidem admonet. Priusquam autem voti sui compos fieret, in gravissimum morbum incidit, diemque obiit supremum.<sup>p)</sup> Quo facto res plane aliam faciem induere, atque per interregni

tem-

n) Eius meminit ipse Fridericus III. in literis, quibus post Maximiliani obitum Vicariat m edicit. in LÜNIGII Reichsarchiv Part. Spec. Contin. II. unter Chur Sachsen p. 769. *Wir haben uns versiehen, Unser Mirckburgfürsten und Wir würden, nach zörlichen abgang Kayserlicher Maj. läblicher gedächtnis zusammenkommen seyn, und Uns von allen Sachen der Norddurftz nacō unterred haben.*

o) LETTERE DI PRINCIPI Tom. I. f. 57. et GERH. DE ROO

Ann. Austr. Lib. XII. p. 603. — nec Pontifex nec Electores abnuere videbantur, atque proximis imperii comitiis ea de re perforatur, decreta est. Ita quoque 10. FABER in orat. funebr. a. d. 16. Ian. 1519. in Max. habita, apud FREHER. Scriptt. rer. Germ. Tom. II. p. 742. *Carolus — Romanum imperium ipsum exspectat.*

p) a. d. 12. Ian. an. 1519.

AKT II 14977

XXXII

X 2374685  
tempus disturbari videbatur. Neque vero minus illa Maximiliani studia tantum Carolo profuerunt, vt, quamvis multa obiicerentur impedimenta, tamen iam faciliori negotio imperator euaderet.

Consilium mihi erat, nonnulla de iis addere, quae in hac causa post Maximiliani obitum acta sunt, vnde ea, quae hoc usque disputauimus, aut clarius intelligerentur, aut magis confirmarentur. Sed cum verendum sit, ne ea, quae ad electionem Caroli in imperatorem pertinent, confundere videamur cum electione eius in regem Romanorum; huiusque materiae plenius <sup>q)</sup> explicandae cum tanta sit copia, vt limites huic libello praescripti eam non capiant: terminos huic narrationi hic ponamus. Vos autem, KVEHNII AMICISSIMI, accipite hoc mei communiumque amicorum erga VOS amoris monumentum, quod, quamvis alii forte iudicent leue atque caducum, VOBIS tamen gratissimum et perpetuum fore animus erga nos VESTER sponsor est certissimus. Valete, nosque amicitiae humanitatis VESTRAE constanti habete commendatissimos. Scripsi Lipsiae mense Novembri A. R. S. ccccxlviii.

q) Occupauit quaedam HOFFMANNVS l. c. p. 241. f.



B.I.G.



358 7.

Hn  
1977

D E

# MAXIMILIANO I. IMP. CAROLI NEPOTIS

I N

REGEM ROMANORVM ELECTIONEM

ANNO MDXVIII. AGITANTE

E X P O S V I T

IOH. GOTTHELF HOCHMVTH.

A. M.



T O P S I A E  
N H E M . H A E R E D D . E T K L A V B E R T H I A .

